

EXERCITIUM ACADEMICUM
PIETATIS XIV.

De

FLAGELLATIONE
DIVI APOSTOLI PAULI,
Occasione loci difficilioris 2. Cor. XI, 24. 25.

PRÆSIDE

Rectore Gymnasii Anhaltini,

HENR. JACOB. van BASHUYSEN,
SS. Theolog. Doct. ejusque & L. O. ac
Histor. Professore,

Ad præparationem S. Coenæ publice sustinebit

Respondens

PAULUS CHRISTOPHORUS Huffleisen/ Servest.

SS. Theol. Stud.

A. d. 23. Martii b. VIII - XI. mat.



SERVESTÆ, Typis SAM. TITII, Illustr. Aul. & Reg. Typogr.
M DCC XX. *

Coll. diss. A
5, 41

a. V. H.

28.

VIRIS,
CONSULTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, CLA-
RISSIMO, CELEBERRIMO,
DOMINO
CONRADO PHILIPPO
LIMMERO,
Medic. Doctori, ejusq; & Philos. Prof. Publ.
ut & Civitatis patriæ Consuli supremo gravissimo,

Ac
AMPLISSIMO ET SPECTATISSIMO,
DOMINO
GODEFREDO SCHWAGERO,
Senatori hujus Urbis dignissimo, &
Mercatori florentissimo,
PATRONIS SUIS



D. D. C.

Seque commendat

Respondens.



EXERCITIUM ACADEMICUM

De

FLAGELLATIONE PAULI.

Thesis I.



Prætime amoenus in Psalmis Israelis, sua- *Exordium*
vissimo illo, & omnibus lectu digno, *de amplitu-*
Psalmo CXIX. versu 96. dixit: *dine & sapi-*
perfectiōni video esse finem: Latum entia Sacra
vero esse mandatum tuum valde: Scriptura.
Hoc qui agnoscit, eum vero felicem
esse iudico, conf. vers. 98. 99. 100.
eiusdem Psalmi, hoc agnoscit Hiero-
psaltes, inde dicit: *quam suavia sunt palato meo iudicia ser-*
monis tui! Suaviora melle, versu 103. & NB. vers. 104. *Manda-*
tis tuis prudens sum (quod plus est quam scientem & sapi-
entem esse) *idcirco odi omnem semitam falsitatis.* & vers. 130.
Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simpli-
ces. Adscribit ergo verbo Dei doctrinam *prudentia, verita-*
tem, Verbum tuum est ipsa veritas, v. 160. *justitiam, præcepta*
tua justissima sunt, v. 172. hinc ipsius & nostrum debet esse
votum: SECUNDUM VERBUM TUUM PRUDENTEM
REDDE ME, vers. 169. Quis plura de LEGE JEHOVÆ,
id est S. S. dicere posset? Unde recte Patres hunc *Psalmum*
magnum pietatis Alphabetum dixerunt, nam initium veræ
SAPIENTIÆ est veneratio *Sacra Scriptura*, quorum verbo-
rum contemptus & ignorantia, *Jesaja, Mosi* & ex illis Eloquen-
tissimo *Cbrysofostomo*, est via ad impietatem. Est vero *Augu-*
stino veræ Eloquentiæ fundamentum *sapientia, & sapientiæ*

S. S. quod utinam omnes Academici recte perpenderent, & cum eodem Augustino quotidie precarentur: *sint Scriptura tua casta & pura delicia mea, fac ut non fallar in iis, nec fallam ex iis.*

Thesis II.

*Applicatio
ad Thema
nostrum.*

Inveniuntur autem pauci, qui hæc perpendunt, unde cum mundo pereunt, quia contra stimulum calcitrant, qui enim verbum Dei, ille Deum ipsum contemnit; Qua de causa recte illi agunt, qui nobiscum, quantum possunt, Sacram Scripturam, a cavillis *Atheorum* vindicant, liberantque, & ejus SAPIENTIAM, & usum ad veram PRUDENTIAM detegunt; Imo etiam suas *delicias* in resolutione dubiorum quærunt, nam S. S. *mellis* etiam rationem habet, eodem *Psalmo* vers. 103. & in *Proverbiis Salomonis*, Cap. XXV, 27. *comedere mellis plurimum, non est bonum*: Utrique scopoforte inservire poterit, præsens *Diff.* & sic ad *preparationem S. Coenæ*, quia est modesta *Meditatio* ad *Comma* 24. & 25. ex posteriore *Pauli ad Corinthios* Epistola: Quando *Apostolus* inter *victorias* suarum *tentationum*, has quoque refert, *quod quinquies a Judæis acceperit quadragenas plagas una minus, & ter virgis cæsus fuerit &c.* Non enim omnia verba duorum horum versuum discutiemus, hoc enim moles laborum, & præsens scopus, non patiuntur, sed sola hæc, ex versione *Jun. & Tremell.* brevissimis verbis, stricturarum ad instar illustrabimus; *A Judæis quinquies accepi quadragenas plagas, una minus. Ter virgis cæsus fui*, reliqua enim facilia sunt, quando sequitur, *semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi.* Nam quantus videbitur cavillatoribus peccator, quod *flagellatus & verberatus*, ut verterem, fuerit: Desines mirari, si has pagellas legeris, ubi locum ex *Antiquitatibus* Hebræorum, illustravero, & sic earum *Usum*, sæpe
in

in aliis commendatum hic denuo commendaverim, & SAPIENTIAM Scripturarum ostenderim, ad gloriam Dei.

Thesis III.

Quæ materia digna est, quam oculo non fugitivo, sed *Dignitas* attento inspiciamus, & meditemur, nam est *Apologia* simul *materia* Pauli, contra hostes suos, qui ipsum criminabantur, ut officium suum irritum faciant, ut recte Amicissimus noster *van Alphen*, in Commentario Analytico, ad hanc secundam Epistolam ostendit: Præcipue illam elegimus, 1.) quia nuper præcedente Martio nostrarum *Observationum Misc.* loca difficilia ex *priore Corinthios XI.* examinavimus, ut non incongruum sit ex XI. secundæ Epistol. aliquid adiacere. 2.) Tempore *Passionis Dominicæ*, non injucundum videtur, de imitatore Passionum optimi Salvatoris Pauli sui, loqui. 3.) Hinc discendum erit veris communicantibus, quomodo per passionem, Domino nostro Jesu Christo conformemur, pie sane hanc in rem, pie doctus Theologus, *Job. Coccejus* noster, & *be quidem* (loquutus erat de afflictionibus propter Deum, & amorem veritatis) *nullo tempore pro maledictione aut ira haberi potuerunt, sed tantum pro πειρασμῶ sive δοκιμασία, atque adeo medio manifestandi eorum fidem & sincerum erga Deum amorem, & potentiam Dei in ipsis; Ad experimentum, ex quo pacificum fructum justitiæ reciperent, Rom. V, 3. 4. Hebr. XII, 11. atque ea hoc modo fiunt apud alios μαρτυρίων, sive medium glorificandi Deum Joh. XXI, 19. quod magnæ dignitatis est Act. V, 41. In doct. ssimo Comm. ad piam & doctam Catechesin Palatinam ejusque Quest. XLII. p. m. 154. ed. in 8. Lugd. B. 1671.*

Thesis IV.

Scopus verborum Pauli satis elicitur ex Cap. X. vers. 2. *Scopus Cap. & v. 3. Cap. XI. Sed vereor ne quo modo, sicut serpens ille Evam pitis Textus se- nostri.*

seduxit calliditate sua, ita corruptæ cogitationes vestra degenerent a simplicitate, quæ est in Christo. Innuit autem falsos Apostolos, qui ut ex Epist. ad Galatas, & reliqua Historia Ecclesiastica patet, jam irrepserant, & hinc Paulum contemserant: Hi seducebant multos, sed quam egregie horum superbiam & calumniam represserit, jam alia Disp. de *Usu Antiquitatum Hebraicarum ad preparationem S. Cæne* ostendimus, præter viam simul curiosum tractantes Thema, quousque Christianus gloriari possit, & non.

Thesis V.

Divisio verborum Pauli.

Duo autem hic Apostolus de se prædicat:

Ν ὑπο Ἰουδαίων πεντακίς τεσσαρκόντα παρα μίαν ελαβον. *Beza: A Judeis quinquies accepi quadragenas plagas una minus:*

∩ τρεῖς ἐρραβδιόθεν, *Ter virgis cesus fui.*

In qua materia ita versabimur, ut maxime ad scopum contendamus; Ad quem inveniendum examinandæ sunt phrasæ Apostoli, quarum prima est, *accepi plagas quadragenas, & has quinquies:* & porro, *Virgis cesus fui, & quidem Ter.*

Thesis VI.

Ν *Quid hoc sit, quod a Judæis acceperit quadragenas plagas? ubi prius de plagis ipsis.*

Ν Solliciti sunt Interpretes, præcipue de primo illo, quid sit, quod acceperit *plagas quadragenas una minus.* Nam hoc supponimus, per *Ellipsin* πληγὰς intelligi, sive *plagas*; plagæ sunt verbera, cum vero verbera sint varia, hic disquiri meretur, quæ, qualiaque intelligantur? Non melius id disci potest, quam inspectis Judæorum *Pandectis*, illi autem nobis referunt ex Deut. XXV, 3. nonnullas personas quadragenis plagis fuisse excipiendas, ubi additur, *vide ne pergat plaga numerosiore bis cadere eum, & frater tuus vilescat in oculis tuis.* Non additur autem 1.) quomodo illæ plagæ infligi debeant? 2.) Aut propter quæ crimina? Hoc omne vero supplet Tractatus Talmudicus *Maccoth* sive de *plagis*, quem

quem Latii iure donavit Theologorum grande decus, *Joh. Coccejus*, tunc temporis discipulus *Sixtini Amamae*, qui inter restauratores Linguae Hebraeae recenseri solet: Sic ille de 1.) hoc est modo plagas illas ex Lege Ceremoniali infligendi: *Quomodo fit flagellatio? Astringit (quis) ambas ejus manus ad columnam. Tum minister publicus vestem ejus arreptam (detrahit) sive rumpatur sive dissuatur, usque dum denudet pectus. Lapis pone illum collocatus est, in quo stat licitor, manu tenens lorum bubulum complicatum, primo ut ex simplici sit duplex, iterum, ut ex duplici fiat quadruplex. In illo duo lora sunt, quae ascendant & descendant. Manubrium palmi longitudinem habet: latum est palmum; extremitas ejus ad os ventris pertingit. Hoc eum ferit trifariam, ita ut trientem ictuum adverso, bessellem a verso infligat. Non ferit stantem, neque sedentem, sed inclinatum, q. d. Deut. XXV, 2. Et prosternet eum iudex. Qui ferit, una manu cedit, quantum potest. Cap. III, 12. 13. Rationem diminuti numeri docet Sanh. C. XVII. ne si licitor per errorem unam plagam addidisset, legem transgressus videretur: Nam ultra XL. ictus procedere, lege prohibitum est; pauciores autem irrogare, non item est nefas. Coccej. ad Maccotb. C. 3. §. 10. allegante *Surenbusio* p. 288. T. IV. *Misnae* suae. *Maim.* addit: Qui vero flagellationem perficiet, is debet esse vir gnarus, mediocribus viribus, non pusillanimus, nec vindicta cupidus, ut fontem feriat ex vindicta. Praeterea necessarium est, ut ictuum triens infligatur cordi, & ictuum triens alterum uni humero, tertium denique alteri humero, & hoc colligimus ex eo, quod scriptum est Deuter. XXV, 2. וְהִכּוּהוּ כְּדֵי רִשְׁעוֹתָיו & percutiet eum ab anteriori parte secundum impietatem ipsius, ergo non a posteriori parte eum feriet juxta impietatem ejus. Hæc *Vir Magnus*, qui primus juxta *Scaligerum*, inter Judæos delirare desiit, mihi plures ante*

te

te & cum ipso, sed hoc *ως εν παραδοω* ad C. 3. §. 10. verba Textus ibidem hæc sunt, quæ quia adscribi merentur, ex accurata hac versione, amici nostri, adduximus, præcipue quia pauci pretioso doctissimi in Gymnasio *Misnici & Gemarici* Cl. *Surenbusii* opere sunt instructi. Præcipue notabile est, quod inter verberandum prælegerint Legis clausulam, maledicentem, de quo infra. Plura hanc in rem, qui scire cupit, evolvat Virum solidæ eruditionis *Joh. Buxtorfium*, ubi id nunquam quæreret in Præfat. Libri de Abbreviaturis, & *Cunæum* de Republ. Hebr. *Goeree*, *Lundium*, *Schickardium*, aliosque rerum nostrarum, i. e. nobilissimi *Antiquitatum studii*, Atlantes, merito venerabiles, & laudandos. Nos præcipue crimina attendimus, propter quæ divus & sanctissimus Paulus fuit verberatus, & hoc putamus nos videre & aliis docere posse sola inspecta ratione rerum, propter quas etiam pius Israelita diras has plagas, ex Lege Mosis sustinere & ferre debuerit.

Thesis VII.

*De causa
plagarum.*

Ad scopum ergo properantes, jam 2.) investigemus, ut deinde Paulo nostro applicemus causas, propter quas Israelita *vapulabat*: *Plagas* versio nostra addit versu 24. sed in Textu non dicitur *πληγας*, sed per Ellipsin hoc vocabulum omittit Apostolus, ut jam in limine hujus Dissertationis diximus Th. IV. propter rationes infra dicendas; Ne nos confundamus, supponimus Lectorem nostrum scire distinctionem inter *מכות* & *מלקות* licet observaverim hæc ipsa sæpe confundi, de priore enim verberandi genere, hac disputatione non agimus; Sed agimus de posteriore tantum: Prius illud Rabbinis vocatur *מדות מכות* *plagæ rebellionis*, verterem, infliguntur enim propter contumaciam & violationem præceptorum, itemque neglectam testium admonitionem, & violatio-

latio-

lationem interdictorum, quæ a Scribis posita sunt, quorum auctoritatem non inepte probant ex Deut. XVII. cui nos ex N. Test. possumus addere Matth. XXIII. ubi certus plagarum numerus non est determinatus. Nam gravitati criminis attemperabatur, quod pendet ab arbitrio & determinatione iudicis, poteratque ad necem fontis progredi, ut *Coccejus* ex *Maimon. Hilch. Sanbedrin* C. XVI. & XVIII. *Aruch* voce מרד probat, vid. ejus excerpta *Gem. Sanbed.* num. IX. nota 3. Quæ verberatio proprio vocabulo *fustigatio* dici potest, baculo enim verbera infligebantur. Aliter fit in posteriore illo, de quo maxime loquemur, genere, מלקות dicto, ubi præcise requirebantur 39. plagæ, quæ ex phrasi Mosis tamen non 39. sed ארבעים XL. vocantur, vocatur oppositè ad priorem, quæ dicitur רבבן *Rabbinorum* vel phrasi N. Test. *Scribarum*, דאורייתא ex *Lege*, i. e. sacra Scriptura, quæ determinavit plagas, & causas illarum, unde Phrasis Talmudica, הוא סופג מ' accipit & admittit quadragenas, velut aquam sponsia.

Atque adeo quando disputamus de *plagis*, non sumus solliciti de confusis illis, quæ dicuntur מכות, sed de lege determinatis illis 39. quæ 13. ictibus ita conficiebantur, ut in præcedentibus descripsimus: Hæ vero plagæ loro bubulino, imo & asinino (ex *Jes. I.*) infligebantur, & tam crudeles erant, ut non desint exempla hominum inde mortuorum, non enim habebat locum ulla conniventia, sed verberatio debebat excitare pœnitentiam facti, & sic glorificabatur Deus, quemadmodum egregie ita de iis ratiocinatur magnus ille *perplexorum Doctor*, R. Moses, fil. Maimonidis, supra & non sine merito laudatus; Cur verò dices? Respondeat pro me Cl. *Coccejus*, in versione Tr. מכות Cap. III. R. *Samlai* hæc est observatio DCXIII. præcepta dicta sunt Mosi in monte Sinai: CCCLXV. pro numero dierum anni solaris, CCXL. pro nume-

ro membrorum hominis, jam ex his quænam mereantur flagellationem subtilissime idem Tr. מכות ostendit, & nos ex ipso. Hæc pœna tam familiaris erat, quod etiam disputent, an non Rex & Sacerdos M. vapulent, de hoc clarum est & certum, ex *Maim. Hilcb. Sanb.* sub fin. C. 17. ex *Misna Sanb.* C. 1. §. 5. & 2. §. 1. nec de illo contradicente licet doctissimo *Frischmutho* dubito, argumenta peto ex eodem Tract. *Sanh.* plura dabit *Selden.* L. 2. de *Synedriis* C. IX. N. V. p. 434. 435. conf. *Hugo Grot.* de *Jure Belli & Pacis*, L. I. C. 3. N. 21. Præcepit Lex, ne Sacerdotes filii Aharon (sub quibus intelligunt *Rabbini* Levitas, vide *Siphra* fol. 46. Col. 4.) ducerent expulsam *Lev.* XXI, 7. neque Sacerdos summus viduam *ibid.* versu 14. utrumque sub pœna plagarum XL. una minus. Et de Rege observat *Maimon. Hal. Sanb.* Cap. XIX. quod si multiplicasset uxores, equos, aut aurum & argentum verbera acceperit 39. conf. *Schikardi* משפט המלך sive *de Jure Regum Hebræorum* C. 2. Theor. VII. p. m. 150.

Hæ jam *plaga* vocabulo Græco πληγαι exprimi potuissent, sed placet N. T. Scriptori doctissimo *Paulo*, hoc vocabulum omittere, pro Consuetudine Gentis Judaicæ, quæ quia frequens illarum, in Gente illa usus, simpliciter vocabat ארבעים חוסר אחד *quadraginta minus una*, subintellige *plaga*. Has plagas sustinuerat noster Apostolus, & quidem *quinquies*, nam *Erasmi Schmidii* ridiculam vocabuli originalis explicationem ridemus, & refutatione indignam, pace Viri summi, judicamus; *Quinquies* Apostolus ergo fatetur, se accepisse *quadragenas plagas una minus*, quo exaggerat afflictiones, quas generosa mente superaverit, magnus Christi Heros ei ut in sequentibus apparebit ad crucem usq; similis.

Non loquitur de ραπισμοις, de quibus versu 25. loquitur, quasque his πληγαις opponit, ergo hic habemus *Lora*, quæ vero versu 25. inveniri, ut negabimus, ita conjecturas

no-

nostras de Christo non *Loro*, sed *Virgis* excepto, vel *bacillis*, prælucente *Sculteto* dabimus, arbitrium Lectori permittentes, eligendi quod velit. Pro fundamento saltem ponimus, Apostolum hoc versu, non *bacillis* aut *virgis* exceptum se proponere, sed *verbera* judaica, Romanis, toto cœlo opponere, Judaica vocat XL. *minus una* (sc. plaga) sed Romana *ραπισματα*, Jun. & Trem. docte vertunt *virgas* vocantes.

Thesis VIII.

Si recurramus ad locum *Deut. XXV, 2.* videmus LXX. *Qua occasione* non tantum *πληγων*, sed etiam *μασιγων* mentionem facere, *one de loco* nec negamus, *μασιξ* *flagellum* verti, sic Leigh. in Crit. Sacr. *Deut. 25, 2.* *μασιξ* *flagellum*, Marc. III, 10. & Actor. XXII, 24. Hebr. XI, 36. *aliquid ad-* *flagrum, flagellum, scutica; & μεταφορικως* poena, quam sustinemus ab irato nobis Deo immissa, ultio divina. *ta-* *va explicatio* *men* quando de Christo sumitur an non possit poni loco *flagellatio-* *ραβδιζειν* quo utitur Joh. Cap. XIX, 3. valde dubito; *Objicis* *nis Christi,* *Φραγγελλειν* antecessisse, Matth. XXVII, 26. & apud Joh. XIX, *veteribus* *I. εμασιγωσε*, Beza, ut *vetus interpres, flagellavit.* Verum *tamen con-* *respondeo* cum doctissimo Job. Bened. Carpzovio *Notis ad* *firmata ten-* *Schikardi Jus Regium* Cap. 2. Theor. VII. p. 149. *Cave au-* *tatur.* *tem, ex hoc Judaico flagellandi ritu* *judices de flagellatione* *Christi: Ea enim, uti Pilati jussu, sic more Romanorum facta* *est, & ex Romana adeo Historia illustrabitur.* Apud Romanos vero flagellum non tantum *lorum* significabat, sed etiam *bacillos*, ut ex *Plinio* probarem, nisi id factum fuisset jam a doctissimo *Fabro* in *Lexico* suo. Videant ergo Theologi an non de his *virgis* agi possit, Lege quam pro *loris* allegant ex L. 10. ff. *de poen. ex quibus causis liber fustibus ceditur, ex bis, traditum est, servum flagellis cedi oportere, illa flagella virgas* sæpe vocant Viri docti, *Erasmus* ad Matth. XXVII, 26. *flagellatum, Φραγγελλωσας* & *hic Romana voce* *Græce scri-*

bens est usus, commutata una litera, quod damnatos, ante ultimum supplicium virgis cedere, ex more esset Romano. Adde argumentum a Leighio, jam excerptum & orbi erudito communicatum, Matth. XXVI, 67. ερραπισαν bacillis ceciderunt, Steph. Beza, vulgatus palmas in ejus faciem dederunt; Atque hoc ipsum est το κολαφιζειν a quo manifeste distinguitur hoc ipso loco το ραπιζειν. Atque inde non magis idem κολαφιζειν & ραπισαι, quam in illo Juvenalis, idem est, plana palma, & pugno ferire

Nec pugnis cedere pectus

Te veto, nec plena faciem contundere palma.

Nec obstant verba legis Porciae & Sempronianae.

De Porcia lege, quando ita Caesar apud Sallustium: quamobrem in sententiam non addisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An quia Lex Porcia vetat? Et de utraque Cicer. in Verrinas. O nomen dulce libertatis! o jus eximium nostrae Civitatis! o Lex Porcia, legesque Semproniae! Et mox: facinus est vinciri Romanum, scelus verberari. Novi quidem etiam nonnullos loris fuisse caesos, quae est censio bubula apud Plautum,

ubi vivos homines mortui incurfant boves.

Sed tales videntur fuisse maxime abjecti servi, unde illud Terentii Adelph. Act. 2. Scen. I. in medio:

Usque ad necem operire loris, SA.

loris liber!

„ubi Donatus, Loris liber. Lora apud veteres laura dicebantur, a lauro triumphorum: sub qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam. Ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris caeduntur mancipia. Nam mancipia dicuntur, quod manu capta sunt. Servi, qui servati sunt, quum eos occidi oporteret jure belli. Unde Virgilius sic inducit captivum rogantem:

Per

*Per patrios manes, per spes surgenti Julii,
Te precor hanc animam serviet natoque patrique.*

Christus autem nequaquam servus, sed Liber erat, unde magis *virga* in ipsum quadrant, quam *loræ* illa, quæ nobis fuisse descripsit ex *Lipſio* aliisque, diligentissimus per Antiquitates Scrutator & Interpres S. Codicis, *Ant. Bynæus*, in laudatissimis de *morte Christi* libris, cui & de *Resurrectione* ejusdem addisset Tomum, si diutius rebus humanis interesse potuisset. Nolimus tamen credere, vel illum vel alios Passionem J. C. ita illustrasse, ut non errare potuerint, de quo lege *Jac. Gronov. Præf. Herodoti* sui. Certe *Lipſius* postquam de *flagris talaris* ex *Eustathio* egisset, ita concludit p. 37. Op. de *Cruce* ex edit. *Plantiniana* 1593. in 4. *An tale aliquod flagri genus, quæ Christus etiam noster casus? imaginantur, aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego assero: Sed illud Evangelistæ, casum esse & quidem flagro.* Sane Vir summus *Jacobus Rhenferdius* in *Diss. auro contra chara, de comparatione expiationis Anniversariae*, cum expiatione Christi pag. 117. expresse dicit *Virgis casum* fuisse, quo tractatu cum percommode & docte usus fuerit *Schrammus* Vir Clariss. & nobis dilectissimus, hinc in *Syst. meo Antiq. Hebr. minore, Cap. de Paschate* laudatus, in conscribenda brevi, sed docta *Diss. de Manipulo*, miror hoc solum omisisse, cum tamen ratio manipuli postulasset, etiam de ejus percussione, quæ *bacillis* fiebat *Menacoth. C. X. agi.* Et hæc ipsa ratio est, quare *bacillos* vel *virgas*, fustibus & loris in causa Christi præferre velimus, quæ autem tantum per conjecturam in hoc negotio licitam prolata & intellecta cupio, & sic ad Apostolum meum redeo: Ille ergo non *virgis*, sed *loris* his casum se v. 24. profitetur. Et sic peccaverat contra Leges illas, quibus talis flagellatio adjuncta erat.

Thesis IX.

*Specialior
inquisitio
causarum
harum pla-
garum, cum
applicatione
ad Paulum.*

Hæc Commentatoribus sufficere solent, sed nimis generalia mihi videntur, unde specialius videre atque investigare debui, propter quas causas speciales, seu præcepta violata, Israelita vapulaverit: Illas vide Tr. מכות Cap. III. §. 1-10. folia huic Disp. a Dn. Respond. destinata non patiuntur, ut omnia illa præcepta huc accumularem, præcipue cum R. Mosche Maimon. ad illud Cap. 3. §. 1. rem clarius quam Talmud ipsum his verbis describat: *Necessario tibi intelligenda sunt hæc fundamenta, quæ tibi in hoc loco dicam cujusmodi sunt, quod omnes, qui excisionis condemnati sunt duntaxat, aut mortis per manum Dei, si condemnatio illa fiat ex præcepto negativo, testimonio & præmonitione antea adhibita cadendi sint, & postquam pœnitentiam egerint, liberati sunt ab excidio; qui vero excidii condemnati sint, ii omnes in Lege memorantur. Qui mortis a Deo infligende condemnati sunt, ii partim quoque in Lege clare indigitantur; sed nos omnium eorum jam mentionem fecimus in Tractatu Sanhedrin Capite nono. Et in similibus casibus dicimus, quod nemo condemnatus est, duarum pœnarum simul, ut, si flagellatus fuerit, non multabitur pœna excidii neque mortis a Deo infligende. Notum est, quod Lex tota continet mandata & admonitiones, sed mandata eadem sunt cum præceptis affirmativis, & admonitiones eadem cum præceptis negativis. Phraseologia autem in Lege occurrentes de admonitionibus, quæ eadem sunt cum præceptis negativis, quatuor sunt, ut, לֹא, אַל, אֶל, אֲלֵי, אֶל, אֶל, אֶל; dixerunt Sapientes nostri, quoties dicitur אֶל, אֶל, אֶל, negativum tantum continetur præceptum; Ista autem negativa in prima divisione dividuntur, in quatuor partes, sub prima parte continentur ii, qui excidii condemnati sunt; sub secunda parte ii, qui mortis a Deo infligende; & jam diximus, quod hi duo flagellatione tenentur. Sub tertia parte continentur ii, qui mortis a Senatu infligende condemnati sunt, quia nobis fundamentum est, quod majori pœna afficientur. Sub quarta parte continentur ii, qui ex negativis condemnati sunt, cujusmodi sunt ea, in quibus præmonitio tantum occurrit, & in hac parte sunt præmonitiones, ob quas flagellatione tenentur, ut & aliæ ad-*

ad-

admonitiones, ob quas nemo flagellatione tenetur, si eas transgressus sit, etsi actum commiserit, in quo peccatum continetur, at Deus ipsum punit in eo, quod is novit. Intelligas vero ea, ob qua condemnati sunt flagellationis, vel non condemnati, hoc sensu; Omnia praecepta negativa in Lege occurrentia in septem partes dividuntur, propter sex nemo flagellatione tenetur, sed propter unam tantum. Quando autem hic loquor de praeceptis negativis, intelligo אזהרות admonitiones, sive in quatuor phrasibus supra memoratis, sive in admonitione, qua e praecepto affirmativo infertur. Sub prima parte continetur negativum ex admonitione de morte Synedrii latum, aut ex admonitione de excidio, propter quod non tenetur flagellatione, ut, ne quis ducat patris sui uxorem, & ne meretrix sit inter filios Israelis; Et quemadmodum dicitur Exod. XX, 3. לֹא יִהְיֶה לְאִישׁ אֶחָדָם אִשׁ אִשְׁתֵּי אָבִיו וְאִשְׁתֵּי אִמּוֹ וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲבִיוֹתָיו וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲמוֹתָיו וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲחָיו וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲחֵי אִמּוֹ וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲחֵי אֲבִיוֹתָיו וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲחֵי אֲמוֹתָיו וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲחֵי אֲבִיוֹתָיו וְאִשׁ אִשְׁתֵּי אֲחֵי אֲמוֹתָיו atque id genus alia. Nam praeceptum negativum procedit ex admonitione super illo fundamento, quo statuimus, quod Lex neminem mortis vel excidii damnet, nisi donec in illo casu praeceptum negativum contineatur expressum, & hoc est, quod sapientes dicunt, scriptura non injungit poenam, nisi prius admonuerit; & propterea nos nullam injungimus poenam, nisi post admonitionem.

In Theologia non citationibus testimoniorum humanorum argumentor, sed hic quia excerpta Rabbinorum sola habent vim probandi: Probavimus ergo flagellationem certis praeceptis negativis adjungi, praecipue iis, quae adjunctum habent כרת aut מיתה בשמים excisionem & mortem manu caeli, quae quid sint Coccejus ad hunc Textum Misnae explicat, & nos in Syst. Antiq. Hebr. min. & Praef. Diss. Antiquariae de Siculo, quae hic repetere nec volo, nec possum. Jam haec Paulo applico, solo praemisso excerpto ex eodem Maimonide, qui illa Praecepta in formam Catalogi redegit: Praecepta negativa in Lege, quibus neque excisionis poena neque capitali supplicio ex forensi praescripto punitis plagae debebantur. Numerus eorum est CLVIII. Sanh. C. XIX. Haec sunt clarissima & docent Paulum, ob levissimum peccatum, ex rigore Legis Mosai-

ca

cæ, potuisse alligari columnæ, atque plagis 39. quæ eleganti Hebraismo vocat *quadragenas una minus* affici; Vult igitur judicare se ex profanis Judæis non fuisse, qui crimina occultent, verum ex zelotis, qui maluerint diris plagis affici, quam culpam reticere: Accedit quod crediderint his plagis, poenitentia accedente, reatum apud Deum expungi. Pium ergo qui poenam passus, ob peccata leviora, occulta, &c. Et hanc passus est *quinqüies*. En pietatem incredibilem, & sic Christianum ex bono instinctu, quod rarum est, in sic dictis conversis.

Thesis X.

Ulterior justificatione Pauli.

Si nec hæc, de quo tamen dubito, sufficiant, cogitemus, tantum fuisse, ut audivimus rigorem veteris Oeconomix, ut etiam ob rem levissimam, veluti quod quis illotus Templum visitaverit, & quidem per errorem flagellari potuerit, quanto zelo contra ipsum agunt, quando cum quatuor viris, qui votum susceperant, ingressus erat Templum, *Viri Israelitæ* (ex Asia venientes inquirunt,) *succurrite: Hic ille homo est, qui adversus populum & Legem & locum hunc omnes ubique docet: atque adeo Græcos introduxit in Templum, & polluit sanctum locum istum*, Act. XXI, 28. trahunt ipsum ex templo, & fores claudunt, *ibid. v. 30.* studentque eum interficere *v. 31.* Potuit ergo Paulus illotus, cum Judæus esset, intrasse in Templum, vel aliud levissimorum præceptorum negativorum transgressus & ut bonum Israelitam decebat, peccatum suum confessus fuisse, & inde verbera accepisse; Plura nemo dicere potuit, & nec eousque progrediuntur *Cl. van Alphen* in *Comm. doctissimo* ad secundam hanc Pauli Epistolam, & *Koning*, ut de Veteribus nihil dicam. Unum adhuc adjicere liceat, talem *flagellationem* (sc. Judaicam) nullam vel levissimam infamiam aspergere *Verberato*, quia sic ex propria

Con-

Confessione ad hoc processum erat, potius pietatem patientis indicabat: Deinde, *quia quicumque ob peccatum vapulat, revertitur ad rectitudinem suam; quia dicitur (Deuter. XXV, 3.) ne vilescat frater tuus in oculis tuis: sicque post castigationem frater appellatur; Ipse Pontifex vapulat coram tribus, sicut reliqua plebs universa, & redit ad dignitatem pristinam, Maimon. Sanb. C. 17. sub finem, quem locum quoque Erudito Lectori jam exposuit Schikardus libri supra laudati C. 2. Theor. 7. p. 155. ex ed. Carpxovii, si Sacerdos summus, si Rex vapulat, si fustigatio illa non est infamis, sed tantum Ecclesiastica, si fustigatus suo honori restituitur, non est, quod erubescas Paule, potius hoc probat, te vixisse secundum rigorem illius Legis, quæ ad tempus debebat esse Pædagogus durus ad Christum, quod Paulus probat Galat. II. & III. Capitibus. Hanc enim flagellationem proprie Legis Cerem. esse, docent illi versus, qui ex Cap. XXIIIX, 54. prælegebantur: *Si non observaveris omnia verba hujusce Legis, que conscripta sunt in hocce Libro, ad timendum nomen gloriosissimum istud & summe venerandum, sc. Dominum Deum tuum. Tum omnino mirabiles efficiet Dominus tuas plagas seminisque tui plagas, magnas nempe & constantes plagas, morbosque malignos & constantes, hæc enim verba, ut diximus supra, pertinere ad alteram Legis clausulam, facile ex collatione cum Capit. præcedentis versu 26. probari posset; nisi putaremus, æquum Lectorem talia jam ex Coccejo aliisque hausisse.**

Thesis XI.

Quando autem Apostolus dicit, se *quinquies* illum plagarum numerum accepisse, constat eum, etsi voce gracilem, tamen sanum fuisse, nam juxta Tract. תמט Cap. III. §. II. *Si XL. ferre posse aestimatus sit, & parte tolerata, videatur re-*

Observatio de Pauli sanitate ex quinquies perlatis 39. illis plagis.

C

liquas sustinere non posse, dimittitur, &c. Quæ quidem iis, quæ habet *Surenbusius* in *Pref. Codicis Misnici de damnis*, contradicere videntur, sed non est, intelligitur enim præter opinionem Judicis mortuus, sc. *si reus inter cadendum moreretur, minister nullo reatu tenebatur; si vero unum addisset eorum, & reus obiisset, tum minister exulabat.* Vel possumus exinde novo argumento colligere *Paulum*, ex pietate, noluisse suam imbecillitatem indicare, sed potius mori, quam non puniri, propter minimam præcepti divini violationem: Aut denique, conjecturæ enim in talibus locus esse potest, fuit corpore valentior, quando adhuc versaretur in *Judaismo*, quam cum se macerasset, ut *Christianismum* intelligeret, & caute propagaret. Quicquid sit, non semel, sed quinques, duram *Rabbinorum* disciplinam senserat: Et sic contra falsos Apostolos poterat de his gloriari passionibus, qui parum aut nihil passi esse debent, ut ex argumenti *Paulini* vi patet. Forte etiam cum ex *Samuele* factus est, & in *Synagoga* declaratus, pro *Saulo*, i. e. *Samuele* *Heretico*, accepit ultimas plagas, & hoc studio reticet, nam ad *Christianismum* propendentes, vel hodie verberari, imo strangulari novi, conf. *Buxtorf. Synag. suo loco.*

Thesis XII.

De Pauli reliquis flagellationibus.

□ Augentur autem dolores & passiones *Pauli*, quando his omnibus *flagellatio Romana* accedit, de quo ita *Paulus* ipse versu 25. *τεις εραβδιον, ter virgis cæsus fui*, qui ita vertunt, recte affecuti esse videntur mentem *Apostoli*, videntur ea, quæ supra jam *Thesi VIII.* de vocabulo hoc proposuimus ad efficiendum, ex simili vocabulo *μασιζειν*, de *Christo* æque ac de *Judæorum* flagellatione usurpato, male inferri cum loro, ad modum *Judaicorum* composito verberatum fuisse, quia vocabulum *φραγελλειν* & *ραβδιζειν* etiam de

de

de Christo usurpatum videamus, & quæ alia tum adduximus loca, quæ hic repetere non possumus, sufficit enim nobis Romanos non solis *loris*, sed etiam *bacillis* sive *virgis* verberasse fontes, & ipsum *flagellare* non præcise, ut volunt, probare fustigationem per illud instrumentum, quod nos eine *Peitsche* vocamus, videatur vel solus, hac de re, locus, Juvenalis 6. 478. *Hic frangis ferulas, rubet ille flagello*, nec mirum, cum flagella sint summitates arborum, vid. *Servius* ad illud *Virg.* 2. *Georg.* v. 399. *Neve inter vites, corylum fere, neve flagella summa pete*, sufficit flagellationem fuisse servile quid *Justin.* 1. 5. 2. *Accursius* D. L. 49. de jure fisci Leg. 12. Sen. de ira 3. 28. quæ loca suppeditavit *Faber in Lexico suo*. Quod Romani verberaverint magis quam *loro* & quidem *nodoso*, quem Passioni Christi eumque *calis* internextum, adscribunt, usi fuerint, patet ex vocabulo T. nostri *ραβδος*, non *πληγη*, aut *μαστιξ*, *baculum* supra vertimus cum *Leighio*. Deinde ex *Actor.* XVI, 35. ubi *Pratores* Gr. *οι στρατηγοι* dicuntur misisse *viatores*, sic vertunt *Jun. & Tr.* Græce *οι ραβδωχοι*, *Lictores* verto, qui dicuntur a *baculis*, quibus verberabant, vel quod mihi nunc idem erit, nam verba valent usu ut *numi*, *flagellabant* fontes, & opus ipsorum an non fuit, *virgis cadere*, ut colligo ex versu 22. ubi recte *Jun. & Tremell.* vertunt, *Et pratores disruptis eorum vestibibus, jusserunt eos virgis cadi*, Gr. *ραβδιζειν*, ubi deinde carceri injiciuntur vers. 23. Eodem sane modo *Johan.* XIX, 3. Christum prius spoliant vestibibus & deinde verberatum, infelici, sed nobis salutari ligno suspendunt; Vel dices Christum bis flagellatum fuisse, *Matth.* loqui de Christo *loro flagellato*, & *Jobannem* Cap. XIX, 3. loqui de secunda verberatione Christi confusa illa, sed tum refutant te ea, quæ supra ex *Leighio* & *Beza* adduxi, atque ipse cui *Lorum* illud Judaicum debes. *Byn.* de m. Chr. L. III. c. IV. §. 5.

Thesis XIII.

*Flagellatio
illa quomo-
do peracta
fuerit?*

Quaestio moveri potest, quomodo illa *flagellatio* facta fuerit? Consulendus est *Livius* L. I. vel intra vel extra urbem, homo servus, vel servilem in modum tractandus, vestimentis omnibus privatus verberibus excipiebatur, qui sensus est verborum *Livii*, quando dicit *verbera intra aut extra pomeria*, ad quæ videantur *Gronovii* notæ, quibus, quia ut nemo est omniscius, sic nec omnipotens, ut sibi omnia comparet, destituor: Eique tum verberato acclamabatur, *arbore infelici suspendito*, vel ad *Lictorem* ita dicebatur potius. Fiebat aliquando *sub furca*, *Valer. Max. L. I. Cap. 7. Cum servum suum verberibus multatum sub furca ad supplicium egisset*, aliquando ad *columnam*, unde *Artemidorus* dicit: *προδεθεις κιονι πολλας ελαβε πληγας*, *columnæ alligatus multa verbera accepit*; Quo alludere videtur *Plautus* *Bach.* dicens:

- - - *abduite hunc*

Intro atque adstringite ad columnam fortiter.

De his multis verberibus est elegans locus *Plauti* *Amph.* Act. I. Scen. I. versu 3. & seq.

*Quid faciam? si nunc tres viri me in carcerem compegerint?
Inde cras quasi e promptaria cella depromar ad flagrum,
Nec causam liceat dicere mihi, neque in ero quicquam auxilii
fiet.*

*Nec quisquam sit, quin me omnis esse dignum deputent:
Ita quasi incudem me miserum homines octo validi cadant.*

Ubi glossa *Magni Parei* habet: *Trium viri enim octo Lictores habebant, qui eorum jussu, in damnatum animadvertent.* Et provocat ad *Elect. Plaut. Tit. Magistratum, & Victor. L. 3. C. XI. Var. L.* quibus similiter careo. En tibi *ραβδσχσς* supra ita descriptos, ut *Pareus* *lictōres*, quid quod ipse *Plautus* his

his

his 8. lictoribus adscribat, non *lora*, sed *virgas*, idque in percussione servi, in *Asinaria*, Actu 3. Sc. 2. vers. 28. 29.

- - - tua duritia dederis octo,

Validos lictores ulmeis, affectos lentis virgis.

ubi doctiss. Pareus adscripsit, *instructos flexilibus virgis*. vide *Elect. Pl. Tit. Servorum*: Imo quando versu 19. hi *plagarum*, loquor cum *Plauto* ibid. *illatores, virgatores* vocantur, eos explicandi causa *lorarios* vocat. Quod terga petierint ex ead. Scen. 2. Act. 3. *Asin.* elucescit, & notum est, unde ei non inhæreo, ad curiosiora tantum perrecturus. Ubi ergo necessitas posito etiam Christum, ut *Servum* consideratum fuisse, eum, quod nonnulli fide *Bynæi* exclamant, *loro* submittendi? Porro si ut servus consideratus fuit, cur non quoque *stimuleum ei supplicium* adscribunt, de quo *Plaut. Mil.* 26. quo *stimulo fodiebantur servi*, conf. iterum *Plaut. Truc.* 4. 2. de qua poena, sic enim malo quam *supplicium* vocare judico, eam servis non in præp. ad mortem, sed ad futuram emendationem irrogatam fuisse, qualis servus per contemptum vocabatur *carnificum cribrum*, *Plaut. Most.* Ad has, *virgas* celeberrimi illi fasces respiciunt, de quibus nemo, brevius, quam *Faber* in *Lex. suo* p. 863. Tom. I. ex ed. novissima *Fritschiana*. Fasces insignia dicebantur Magistratum Romanorum. Erant autem fasciculi colligati ex virgis seu bacillis de betula arbore, ut auctor est *Plinius*, inter, quas obligata securis ita erat, ut ferrum in summo fasce, emineret. Hinc *Tertull.* de poenit. C. II. *securium virgarumque petitio*, est petitio honorum. Hujusmodi fasces *duodecim* Consulibus, Prætoribus *deni* a Lictoribus totidem, præferebantur, honoris & terroris causa, sive ut *Plutarchus*, exposuit in *Publ. Rom. probl.* 82. ut per *virgas* significaretur, corrigendum esse a Magistratu, quod mutari possit;

„quod vero emendari nequiret abscindendum. Ubi addit,
 „sed ante Consules & Reges habuerunt fasces 12. quod Ro-
 „mulus instituit, de quo Dionys. 13. & Liv. 1. 8. alia quæ ad
 „Hist. horum fascium pertinent, vide sis ap. Lips. Elect. 1. 23.
 Unde etiam voce *Lorarius* vertit, non einen Peitschen-
 Knecht / sed ut nos *καβδερχον* vertimus Act. XVI. einen Ste-
 cken-Knecht / Häscher / Peiniger / & addit locum ex Gellio 10.
 3. extr. qui videtur sententiæ nostræ contradicere, sed non
 est, *Hi sequebantur Magistratus, tanquam in scenicis fabulis,*
qui dicebantur lorarii, & quos erant jussi vinciebant aut ver-
berabant: Unde etiam illis, quorum flagellatio in partem
 cessit, non acclamabatur *loris cedito*, sed *summove licitor, de-*
spolia, verbera, lege, age, animadvertite, Grotius ad Matth.
 XXVII, 19. ubi simul perdocte probat flagellationem Christi
non in partem pœna cessisse: Supra ex *Fabro* adscriptis adde,
 quod *Cantelius* in *Rep. Rom.* diff. 2. C. 1. moneat initio 24.
 postea consilio *Poplicolæ* 12. *fasces* securibus armatos præ-
 cessisse p. 248. ed. *Ultraj.* 1691. Ipsum vocabulum cædo, ma-
 gis *virgis*, quam *Loro* competit, licet haud ignorem utrisque
 tribui, illisque quidem apud *Cic.* in *Verr.* 3. 29. *virgis ad ne-*
cem cædi, his *Phil.* 8. 8. *eum servi publici loris ceciderunt.*

Plura nemo a nobis desiderabit; Dicant cur Christum sa-
 tis per reliqua humiliatum, hic in illis loris & negotio *sta-*
buli, & presepes nimis humiliare volunt, an enim antece-
 dentes & sequentes passionis non sufficiunt, ut quoque
 quando Christus in honorem suum dixit, *Joh.* XIX, 5. ita in-
 terpretantur ac si Pilatus id dictum ad populum ad miseri-
 cordiam commovendum protulerit, cum in T. Pilati non sit
 mentio, & dictum *ιδε ο αυτηρωπος*, *Ecce homo* magis in Chri-
 stum, quam Pilatum quadret, respiciturque ad *Zach.* III. fin.
 & VI, 12. ac si diceret en *Jesum, Regem & Sacerdotem*, atque
 Jes.

Jes. L, 6. ubi hæc flagellatio manifeste prædicatur, conf. *Heinsf.*
in Aristarco ad illum locum, qui jam aliquid prævidit.

Thesis XIV.

Ex quo in transitu, contra absurdum quendam Scri-
 ptorem, Pilatum defendentem, indignum qui refutetur, ob-
 servamus, injustissimum Pilati animum, qui etsi sciret Chri-
 stum esse *magnum* aliquem & excellentem, quicquid sit in-
 nocentem *hominem*, tamen *Barabbam*, quod Germ. mihi ex
 Syriaismo est, *das Battersöhnelein* / Belgice *bet wittebrood*
Kindie, quales indulgentia deteriores fiunt, *latronem* & ho-
 stem publicæ quietis liberum dimittit, & Christum *flagellis*
 submittit, ut & postquam flagellaverit, quod nondum mu-
 taverit animum pessime, & contra ipsas Regulas Juris Roma-
 ni adeoque Principem suum peccaverat, qui non, ut scri-
 ptor absurdus supponit, ei id jusserat, licet etiamsi jusserit
 scire ex lumine rationis debuisset *Deo & veritati magis, quam*
hominibus parendum, & sic optandum *Eierum* in processu
 Christi cautius egisse, laudato vero *Gæzio* in aureo, etsi quo-
 que erroribus non careat Libro, quem vocavit *Pilatum Ju-*
dicem.

*In transitu
 furor, &
 peccatum
 Pilati osten-
 ditur, non-
 nullis Scri-
 ptores no-
 tantur, Gæ-
 zio Jcto
 laudato.*

Thesis XV.

Quod 3. gustaverit has virgas, difficultate non caret,
 nam de una tantum lego Act. XVI, 23. Locus enim Act. XXII,
 24. 25. aliorum spectat, & a Viro Cl. & summe Rev. Dn. Prof.
 & Pastore, Fautore & Amico meo, Dn. *Gerbr. van Leeuwen*,
 in Comm. Doctissimo ad illum locum satis expositus est. Nec
 in reliquis flagrorum causam recensere possumus, quia ne
 flagellationes ipsæ quidem recensentur, Cl. van *Alphen* scri-
 ptori vitæ Paulinæ, hoc Spicilegium in prolixa hac messe re-
 linquentes claudimus. Sufficit nos probasse aliud esse Judai-
 cam, aliud Romanam *flagellationem*, & Pauli innocentiam &
 passiones demonstrasse.

*Quid quod
 has virgas
 ter gustave-
 rit Paulus
 noster.*

The-

Thesis XVI.

*Scopus
Pauli.*

Potuit Paulus ergo ex his & reliquis passionibus & specimenibus patientiæ, justo Titulo contra falsos Apostolos exclamare: *Nulla in re inferior fui summis Apostolis, etiamsi nihil sum.* Versu II. adde vers. 19 - 21.

Thesis XVII.

*Institutio ad
pietatem.*

Jam ergo absolvimus nobilem *de flagellatione Pauli* materiam, inde discamus imitari Paulum, ut ille Christum suum ad vivum expressit, unde tuto exclamare potuit, ad *Corinthios*, & in iis nos ipsos: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi,* 1. Cor. XI, 1. Hic videmus ipsum portantem *stigmata Domini Jesu in corpore suo*, Gal. VI. 17. Hic ostendit se *vivere Christo, per quem mundus ipsi crucifixus est, & ille mundo*: Quanta passus est, ut impleret *reliquias passionum Domini*. O fidelem servum Domini sui! o dignum Apostolum!

Thesis XVIII.

*Cautela, sive
usus Elench-
ticus.*

Non autem putemus nos præcise, ut Christum & Paulum *crucifigi & flagellari* debere, ut Centuria XI. N. T. in *Cassienensi* cœnobio facere inceperunt, quando ordinatum est, ut in capite quadragesimæ toto triduo Monachi nihil aliud agerent, quam legerent & precarentur, nudis pedibus incederent, totum Psalterium cantando percurrerent, nihil nisi parum aquæ gustarent, & mutua scoparum castigatione sese quotidie purgarent, unde uno in cœnobio 3000. scoparum flagendo consummata fuerunt. Vel ut Seculi XV. foetus ille absurdissimus, qui in Hist. Ecc. secta *flagellantium* vocantur, qui se flagellantes de loco in locum migrarunt: Quibus Clemens VI. ut & fidelibus sub excommunicationis pœna, prohibuit, ne publicis flagellati nibus imposterum uterentur, sed pœnitentes clam flagellarent. Hæc non refrenant carnem, & ab Hypocrita æque ac vero fideli peragi possunt, non

no
qu
pt

&
se
ni
qu
pr
ne
de
vi
cl
ca
fa
p
n
t
te
P
la
T
n
f
e
I
A
I
B
J

non vult Deus, ut nobis vim inferamus; hæc vera castigatio, quando carnem non fovemus ad libidinem, aliasque voluptates.

Thesis XIX.

Quare examinemus nos, an (1.) ex hac passione Domini *Inquisitio* & servi didicerimus gravitatem peccati, ita ut nisi intervenisset *Hostia* Christi, nobis pereundum fuisset, quicquid *Sociniani* & *Judæi* negent, in æternum: *Scopæ, bacilli, virga, lora,* quæ diverso respectu *Christus & Paulus* perpeffi sunt, sane repræsentant peccata nostra, quæ sunt etiam corona Christi *spinea* repræsentata, his quoties peccamus, *Christum & Paulum* denuo virgis cædimus, in ipsorum faciem spuimus, eosque vulneramus, ut illud doleamus & evitemus. (2.) An Sanctitate *Christo & Paulo* cupiamus esse similes, & *crucifigere carnem cum affectibus & cupiditatibus*, *Gal. V, 24.* Hoc qui facit, flagellatur, crucifigitur, atque inde pro statu sui temporis tantum facit, ac si quod tempore Pauli, non nostro, necessarium erat, ipse gloriosum pro Christo subiret Martyrium. *Medicorum & Philosophorum* contra *Stoicos* est sententia, quam & nobis non displicere, *Disp. i. & 2. ad Syst. Practicum* satis declaravimus, *Passiones* per se non esse malas, quia ad naturam humanam pertinent; tamen ut hæc *Theoretice* vera sunt, sic negare haud possum, facienda esse non quæ affectus, sed *RATIO & S. S.* suadent, sive gratum, sive ingratum sit affectui, hoc dicit Paulus l. c. & hoc Sancti volunt, quando affectibus summum adscribunt malum: Imo cur non post peccatum cum sanguine peccaminoso ex *Psalmo L.* potest major effervescentia, ut ita loquar, & ebullitio, in iis esse, saltem *Judæi* in *Talmude*, & *Libris*, quibus abundant *Moralibus*, universusque *Gentilium Philosophorum* chorus, nobis inculcant, ut affectuum imperio nos

D

non

non submittamus, unde illud *solus sapiens est tranquillus*, quia novit cum Deo in pace vivere, mundum quidem accusare & criminari posse, sed in iudicio etiam hominum superaturum. Cum perversus peccator tam diu peccet, donec omnis gratiæ sensus pereat, & in desperationem, hinc sæpe *αυτοχρησιον*, de cuius malignitate eleganter *H. Grotius*, occasione necis Judæ ad Matth. XXVII. (vid. *Lipsienses* de termino gratiæ, aliique, & cum grano salis, ut omnia scripta humana legantur.) Peccator tremit ubique, sibi ipsi fidem non habet, etiamsi enim alii sterquilinum cordis sui non cognoscant, tamen se novit, & turpitudinem internam, quam haud raro externum hypocriteos pepulum tegit, ut ostendit *Witf.* in edita a me *Practica Christianismi*, quales Libri utinam a Juventute legerentur, quia enim Theologia est Scientia Practica, hinc *Practici veri*, i. e. vitam emendantes semper Theoreticis addendi sunt, ut du *Moulin* *paix de lame*, sive *Pax anima*, cuius ad imitationem brevi edemus *Disp. de studio* (optimo sc. illo, præcipue annis crescentibus) *bonæ conscientie*.

Thesis XX.

Reprehenfio.

Verum peccari in uno & altero novimus, I. si Christi & Pauli passiones æstimarent mortales, magis eas scrutarentur, & sibi, dum occasio adest VOLVPTATIS, sic enim omnis peccati fomitem tricipitem 1. Joh. II. mundi Deum vocare solemus, moderarentur, & fræna injicerent: II. Ut jam fileam, quomodo dentur servi peccati, vid. *Disp. de dominio peccati*, imo tam profani, ut de peccato gloriantur, quibus ex Jerem. III. *meretriciam frontem* adscripsimus, vid. *Disp. de Profanitate extrema*. Quot dantur gloriantes in aliorum persecutione, & invidia continuatione, contra *Gal. V, 26.* III. Ubi sincerum VIRTUTIS studium, multi ne

pri-

pri
xi
pro
fic
cu
est
cu
bet
me
sup
ve
ca
Fl
pic
pis
Pr
Ma
m

tia
sco
stu
ju
ho
co
&
qu
co

primum quidem gradum illius exercent, amorem erga proximum, simulant in S. Coenæ præparatione, se remisisse proximo debita, dum remanet odium & invidia, quibus in ficta sanctitate & sapientia incedentibus dicere possumus cum Jacobo C. III, 13. - 15. *Quis sapiens & scientia præditus est inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum LENITATE SAPIENTE.* Quod si invidiam amaram habetis, & irritationem in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote adversus veritatem: Non est enim sapientia superne descendens, sed terrena, animalis, demoniaca &c. Et vers. 17. *Quæ autem superne est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica &c.* Vides LENITATEM & PACIFICUM Spiritum præcipue adscribi vere i. e. ad salutem sapientibus. Exulat hic dura morositas, non minus quam turpis adulatio, & requiritur vera Humanitas, de quo plura in *Pref. n. Wits. Pract. Chr.* attulimus. Conf. quoque, quæ ad Matth. V, 23. in *Disp. de Util. Ant. H. ad præp. S. Coenæ* diximus, sed forte in ventum & frustra! O tempora tristia!

Tbesis XXI.

Felices nos, si melius nos erga oblatam in Christo gratiam geramus, ad quod officium quotidie *Presbyteri & Episcopi*, i. e. Professores & Pastores nos admonent, donec *Christus in nobis formetur*, Gal. III, 19. Hoc facientes recte jejunabimus in Spiritu lenitatis, & amoris fraterni, PASSIONIS hoc tempus bene impendemus, dignos nos S. Coenæ convivas comprobabimus: Et ut hic in debilitate adhuc sacro pane & benedicto poculo, signo & sigillo gratiæ invisibilis, adeoque cum tristitia gaudio juncta utimur, sic suo tempore consummati, Coenæ Agni assidebimus ex Apoc. II. & XIX. adeoque poculum Domini, de quo *Jes. XXV. & Ps. XVI.* nunquam recedet a nobis. AMEN.

*Adhortatio
&
Consolatio*

Corollaria Respondentis.

- I. *Ritus disputandi ante S. Cœnam est utilissimus, & tendens ad gloriam Dei.*
- II. *Aliud autem est disputare, aliud calumniari, hoc eorum est, qui veritatis loco mendacium, lucis loco tenebras amant, illud vero veritatem amantium, quorum lenitas facile ostendit, eos ex Christo & ad Christum loqui.*
- III. *Ne tempus inutiliter perdamus, de re utili & salutari disputare debemus.*
- IV. *Et tempore opportuno, quod observavimus, quando tempore PASSIONIS DOMINICÆ, de Paulo, Servo suo propter ipsum flagellato disputamus. Et cum in Tb. Cap. de onere Legis absolverimus, illius Fugæ Specimen hac Disputatione exhibemus.*
- V. *Hinc habemus bonam conscientiam, nos ad gloriam DEI, adeoque ejus auxilio disputaturos.*
- VI. *Tot etiam materia tractantur in Disputatione, ut nisi mos esset, nullis opus haberemus Corollariis, quorum compendium sit A. Veteris Testamenti Fugum intolerabile fuisse, & ex Fidejussione J. C. oriri, atque F. Sinaítico. B. Sub illo tamen promissionem non fuisse abolitam. C. Et sano sensu dici posse, Christum V. T. Cereemonias non abrogasse. D. Ut eodem referri potest Locutio V. D. M. esse Sacerdotes, & S. Cœnam, sacrificium, ast neutiquam sensu Pontificio. E. N. T. veteri esse longe præstantius. Unde CHRISTO non amplius fidejussori, sed Sponsionis æternæ efficacissimo executori, sit laus, honor, & gloria, in Secula Seculorum, Amen.*



ORNATISSIMO, DOCTISSIMO QVE

DN. RESPONDENTI

S. P. D.

HENR. JAC. van BASHVYSEN, D.
HVJVS DISP. PRÆSES.

Valde gaudent boni, quando bonis bene est; Sane autem meliore in statu Te invenire non possumus, quam quando *Paulum* Tuum imitaris, & pro *Christo* ejusque honore pugnas, & sic pugnando contra malos, Te & Commilitones Tuos præparas ad pium S. Coenæ usum. Male de hac spirituali fortitudine loquuntur, sed mali, hos non cura, sufficit conscientia recti, qui enim bene agendo carpitur, ille male censuram injustorum subit, ita *Paulo* Tuo, quem defendis, imo CHRISTO vestro, ante Te. Interdum tentandum est aliquid, præcipue in bono, ubi tentare semper bonum. Ego vero Tibi gratulor, de *pie* transacto illo *semi quadriennio*, quo Te probo Auditore usus sum; hinc Tibi quoque meum Præsidium lubens concessi, & manum concedidi: sive *loris* sive *bacillis* Christus exceptus sit, ratione *praxeos*

D 3

parum

parum curamus, *Theoretice* autem *Lora* nondum probata esse, pacifice, modeste, cum honore etiam Adversariorum, pro libertate Ecclesiae N. T. tuemur. *Praxis* est plus quam *Theoria*, sufficiet igitur alios ad imitationem Sanctimoniae & Martyrii in anima pro Christo, inflammasse, & ad amorem Fratrum, non irata Legis, sed blanda Evangelii voce invitasse, qui si nolint audire, nos saltem canemus cum Poeta Belgico:

*Het quaet voor goet te doen met Judas den
Verrader,*

*Dat is het eygen werck van aller boosen Vader;
Maer goet voor't quaet te doen, dat is het
eygen werck*

*Van Christi Jesu Kint, en Leden syner Kerck.
Voor my ick spreker ont; de boose sullen vinden
Dat, soose met gemoe niet willen zyn myn
Vrinden,*

*Ick tegen haren dank in allerley geval,
Haer tot een waren Vrint, myn selven maken
sal.*

Quo facto nobis bene erit, & hic & olim; Sic defino in voto, ad patrem illum luminum, a quo solo vera sapientia descendit, ut Te porro exasciare velit, in vas ad decus suum, Tuam aliorumque salutem. Scripsi in Gymnasio Anhaltino a. d. 23. Martii 1720.

Ter

Ter Eere
van den Heer Respondent,
op syn Naeme, *Sinnspeelend.*

Geleerde Heer, watt syllen wy nu doen, of uw geven,
Daer ghy soo onweer gaeloos, *Paul* en syn *Heer* ver-
heven:

Paulus die well eer Christi Volck deed veel Spyt en
leet,

Doch beeter onderweesen, te Sterven is gereet.

Voor synes Heeren eer, syn heete liefde gloeide,

Te hogher, hoe men hem te schandelyker boeide:

Geen Keeten, Kerker, Geesel, noch Dood vreesd dee-
sen Man,

Weetende dat syn Heer in dit all hem helpen kan.

Jae self hem nae de Martel-Kroon, en felle Dood, het le-
ven

Met Blydschap en Vergnoeginge op eeuwig weeder ge-
ven;

Dit toont ons, *Paulus*, *Pauli* naevolger in dit Schrift,

Waerin het pit *Heber* en *Javans*, is uyt gesift:

Romen onvergeten: daerom klappt maer in de handen,

Musa will tot uwer Eer vvierook kluyten branden:

Tis vvell; Voor my ick vvensch, dat het geleerd op-
treên

Der Geleerden Stoel, uuv magh vvesen een *Mar-
morsteén*

Ter

Ter eere van uvve deugd; Trapt maer onder uvve voeten,
Die uyt Nyd uvv vwillen met oneer begroeten:

Voor my ick dancke God, dat my noyt, de svvarte
Nyd,
Bekruypen fall, der ongeleerden Siekt' ick vvell
myd.

*Doeb still soete Harpe-snaar
Want PAVLVS tredt voor Gods altaer.*

Wilde alsoo rymen

Wouter van Bashuyfen,

H. J. F. G. N. Philos. Ling. & S. S. Th.
Studiofus.

Pag. 6. lin. 12. leg. τεσσαρακοντα. pag. 26. lin. 6. post αυτο-
χειριαν addatur abeat.



Coll. diss. A. 5, misc. 41